

Nec Pythagoram sua factio deseruit. Scribit Claudianus Mamertus, dixisse Archytam, *animam ad unius exemplum compositam esse, & sic illocaliter dominari in corpore, sicut unum in numeris.* Scribit & Gregorius Nyssenus, dixisse Numenium Pythagoricum, animas corporis esse expertes; quod & Hierocli placuit, atque item Sallustio Cynico. Sensisse id quoque Asclepiadem Bithynum medicum, qui fuit Pompeji æqualis, refert Plutarchus. Ponitur & à Mamerto Varro in iis, qui animo detraxerunt corpus; & Sextius uterque, pater & filius, in iis, qui & incorporeum & illocalem putarunt. Ponendus quoque Cicero inter illos, qui simplicem dixerunt esse animum, nihil admistum habentem, nihil concretum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Etsi vero in aliis multis à vero aberravit Eunomius; in iis etiam, quæ pertinent ad animum, aberrarunt Manichæi; ab anima tamen corpus vere segregarunt. Quod & jam antea à Judæis factum ex Philone cognoscimus.

III. Nunc videamus, immortalesne à multis crediti sint animi. Id ita esse universæ consentiunt gentes, universæ retro ætates consenserunt. Cum de animorum eternitate differimus, inquit Seneca, *non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut contentium.* Utor hac persuasione publica. Et Macrobius loco jam laudato: *Obtinuit non minus de incorporalitate animæ, quam de immortalitate, sententia.* Et his antiquior Plato pervulgatam hanc esse tradit opinionem, multisque ac vetustissimis sermonibus proditam. Atque hinc argumentum petit Cicero ad eam confirmandam: quippe naturæ vocem hanc esse, quod omnium sit consensus; sicque nationibus omnibus, quæ ubiq; sunt, esse persuasum, post mortem animos permanere; sic omni antiquitati, quæ quo propius aberat à divina progénie atque ortu, hoc certius veritatem cernebat. Id adeo primis illis inter Græcos Philosophiæ parentibus, Thaleti & Pherecydi, tam constans certumque visum est, ut doctrinæ hujus auctor uterque dictus sit: & Thales quidem à Chæcilo Poëta, ut retulit Diogenes Laërtius, à Gregorio Nysseno, & à Stobæo; Pherecydes vero à Cicerone, teste idoneo. Utriusque sententiam studiose propugnavit sua secta. Et inter Jonicos quidem Anaxagoras, & deinde Socrates, cujus argumenta fuse exposuit Plato in Phædone. Nam cum locis quibusdam visus est id dubie proponere, antiquum obtinuit, nec aliter se gerere debuit, qui de rebus omnibus dubitandi auctorem se tulisset. Nonnunquam etiam ad alienam sententiam se accomodat; velut cum ad mortis contemptum homines studet adducere,

Qij

facien-

Claud.  
Mamert. de  
statu anim.  
lib. 2.  
Greg. Nyss.  
de anima.  
Hier. in  
Carm. Py-  
thag. Sallust.  
de diis &  
Plutarch. de  
mundo c. 8.  
placit. Phi-  
lof. 1. 4. c. 2. 3.  
Claud. Ma-  
mert. de stat.  
animæ l. 3.  
Philo de Som-  
n.  
& interi-  
tus.  
Senec.  
Epist. 117.  
Macrobius in  
Somn. Scip.  
1. 1. c. 14.  
Plato de le-  
gib. libr. II.  
Cic. 1.  
Tuscul.  
Diog. Laërt.  
in Thalete.  
Greg. Nyss.  
de anima  
Stob. Eclog.  
Phys. libr. 1.  
Cic. 1.  
Tuscul.